

60.90.



00  
—  
De

BIBLIOTHEK  
des Königl.  
DOM-GYMNASIUMS  
— ZU —  
MAGDEBURG.

№. 290.



BIBLIOTHEK  
des Königl.  
DOM-GYMNASIUMS  
— ZU —  
MAGDEBURG.

UNIVERSITÄTS- und  
LANDESBIBLIOTHEK  
SACHSEN-ANHALT  
MAGDEBURG



De

# TITI LIVII

arte narrandi

et

artificio historico

commentatur

*I. H. L. Meierotto.*



BEROLINI,

typis & sumptibus I. C. F. RELLSTAB, & in Commisſis NAUCKII.

MDCXCXVIII.

*B. o. 290*



L2B1



Vidimus, Livium voluisse mandare literis, quae profutura viderentur civibus, hominibus; quaeque pro exploratis, verisimilibus, veris haberet; voluisse igitur eundem congerere quam plurima, unde facile discerneret & exciperet maxime probabilia. Quomodo vero multitudinem tantam testimoniorum digerere, & ex tam diversis unam & convenientem speciem conficere sit aggressus, id jam videamus. Ut ii, qui generis totius humani res referunt, distinguunt tempus fabulosum, heroicum, historicum; sic itidem rerum Romanarum auctor in hoc populo non poterat non fabulosa tempora ab historicis distinguere. Quomodo igitur facta vere historica optime essent digerenda, vel qua arte ornanda, id Livium docebat res ipsa, Graecorum exempla, palaestra rhetorica; si quid regendo ingenio deesse videretur, id aequalium iudicium, aevi que Augustei elegantia facile addebat. In congestis erant omnino quam plurima, quae prudentiam auctorum rei publicae testarentur, ut census, comitia, senatus, res militaris, & plura. Harum rerum non tantum eae, quae adhuc vigeant, sed cuncta fere, quae unquam ob insignem prudentiam notabilia fuissent, omnibus adhuc erant notissima. Circa haec describenda non necessarium videri copiosi ut essent auctores. Graecus quidem Graecis suis res Romanas copiose, uti consecrae & constitutae essent & perdurassent, de-

A

scrip-



scriptas dabat. Romanis quoque volupe erat, res suas nascentes, exque parvis initiis sensim crescentes cognovisse. Ideo vel plane obsoleta rerum, vel tempore ipso obscurata ita ob oculos ponere debebat auctor, quasi quae quam maxime tum fierent. Fabulis igitur inquinata si non omnibus, at quam foedissimis expurganda erant, ne aequalibus Livii taedio forent; tenuia, exilia ita erant ornanda, ut delicatiorum lectorum mentes tenere possent. Inde est, quod legentes primos Liviani operis libros facile dispicimus, illum voluisse prodere quasi tabulas aliquas pristini rerum status, quarum quaeque, ut priscum opus referret lineas & colores antiquitati convenientes. Ut quaeque res acciderit, quomodo inde nonnulla in morem abierint, id narrationi quasi ut emblemata quoddam inserere ratio illi videbatur. In libris quinque primis origines rerum nobis expositas videmus, quasi seriem aliquam tabularum in atrio quodam antiquo propositarum. Quis nescit e. g., in rebus sacris plurima casibus quibusdam originem debuisse. Hinc in iis enarrandis, quae cum casus isti essent oblitterati, omnino explicasse perdifficile erat, quam accuratissimum se praebuit. Non tantum, quando sacrorum quaevis pars foret instituta, indicavit, addiditque, quae eorum manserint, sed etiam narrationem verisimillimam quomodo sacrum quodque esset ortum, quomodo auctoritatem fuerit adeptum, subiecit. Sic narratione satis copiosa ostendit, qui acciderit, ut *Romulus una sacra peregrina* Pinatorum & Potitorum suscepit.\* Grammaticum aliquem satis habere posse putat, si ex vestigiis quibusdam paene obsoletis conjectura subtili exquisiverit, unde nomina augurum, instrumentorumque, quae adhibuissent; unde ritus primum ortus esse tradatur. Livius vero lectores in rem praesentem, narrationem aliquam non tenuem verum copiosam contexendo, deducit. „Augur — signum, quo longissime conspectum serebant oculi, animo finivit: Tum, lituo in laevam manum translato, dextra in capite Numae imposita, preca-

\*) Liv. l. i. c. 7.



precatus est ita: Jupiter pater, si fas est, hunc Numam Pompilium — Regem Romae esse — uti tu signa nobis certa adclaraffis. \*)<sup>c</sup> Sic prima Flaminum, Vestalium, Saliorum injecta mentio illi locum dat, haec instituta ita designandi, non ut quae facta & composita essent, sed uti ante oculos lectorum fierent. \*\*)

Non satis habet, fecialem omnino nominasse, ejusque officium indicasse, \*\*\*) quum primum vetustissimi a Romanis icti foederis memoria esset injecta; sed quomodo tunc cuncta a M. Valerio essent facta, quibusque verbis vicissim cuncta forent concepta, id interrogando, respondendo, preces fundendo quam maxime a priscis ipsis viris declarari voluit. Uti haec a pacis & foederum auctore, Numa, essent constituta, sic *medium inter Romulum & Numam ingenium* Anci Marci nostri occasionem dat, suis omnino coloribus fideliter consignandi, quae fuerint res repetendi, bellumque, quum non redderetur, indicendi ritus, habitus, actus quique, & carmina, quibus legatus quaeque restabatur. \*\*\*\*)

Sic librorum Sibyllinorum historiam contexit, lectissimum primum facti causas, locum, omnemque formam †) expedit; supplicationum magnificentiorem speciem usus occasione Vejorum captorum pingit. ††)

Nec in originibus Romanis personarum, locorum sacrorum, rituum, numinum recentibus ceremoniis colendorum, mentionem injicere unquam omittit †††); nec in cursu rerum florentissimarum vel gravissimarum unquam postea superseder

A 2

indi-

\*) l. i. c. 18.

\*\*) l. i. c. 20.

\*\*\*) l. i. c. 24.

\*\*\*\*) l. i. c. 32.

†) l. 5. c. 13.

††) l. 5. c. 23.

†††) Salii duodecim, fanum Pallorū ac Pavoris l. i. c. 27. Rex sacrificulus l. 2. c. 2. Mercurii aedes l. 2. c. 27. Jupiter Feretrius l. 4. c. 20. Sacerdotes l. i. c. 20. Novendiale sacrum l. i. c. 31.

indicio, quae templa in discrimine vota, quae post victoriam, quae ex praeda fuerint exstructa; quibus igitur locis faeris urbs quovis tempore fuerit aucta & ornata. Ex quo tandem potius auctore mores in rebus domesticis, unde publica Romanorum instituta potius haurias, quam ex Livio? Unde quis planius cuncta nasci, crescere, sensimque constitui videat, quam a nostro doctus? Nonne quasi cui omnibus, quae a quocumque desiderari possent, satisfaciendum foret, semper intentus apparet, ut suo vel alieno loco, ut primum occasionem foret nactus, talia sedulo infereret?

Neque mirum quidem, cum illa, quae ad res publicas explicandas facerent, accurate ex originibus deduxisse, & secundum sua quaeque incrementa explicasse, suoque quidem loco ita tamen exposuisse, ut narrationi perpetuae intexeret. \*)


Ut primum historiam scribere sibi in animum induxerat, haec quidem ad historiae corpus ut membra necessaria pertinere videbat. Quis enim originem tribunatus plebis ex rerum Romanarum contextu omitti posse, sibi fingeret? Veruntamen haec, quae omnino referenda erant, ita ubivis exposuit, ut  
qui

\*) Unde civium numerus auctus; num ex peregrinis l. 2. c. 16. num. ex dedicatis l. 1. c. 38. an ex iis, qui servitutem aliquando servierint l. 2. c. 5. Quae gentium patriciae, quae deinde *minores* audierint l. 1. c. 35; qui *primores* equestris gradus l. 2. c. 1. qui in novum senatum lecti & *conscripti*. Quin clarissimarum gentium facta fere exsequi velle videtur l. 1. c. 34. l. 2. c. 10. c. 50. l. 6. c. 20. tum quae *collegiorum* instituta l. 2. c. 27; quae *classium*, *centuriarum* l. 1. c. 42. quae *justitii* origo l. 3. c. 5. Quomodo rex secundus & post eum alii, *interrege* creato, & *patribus auctoribus* praecautibus, fuerint creati l. 1. c. 17. Qui *dunnaviri perductionis* l. 1. c. 26. ad quodque iudicium fuerint adhibiti: quae magistratum petendorum ratio l. 4. c. 25. *Censoris* primum contentior, tum sensim gravis & majestatis plenus magistratus l. 4. c. 8. l. 5. c. 31. *Praefecti urbis* antiqua sane, sed a necessitate fere solum repetita potestas l. 3. c. 3. *Aediles curules* l. 6. c. 42. *Juris jurandi, sacramenti* magna & sancta quasi obligatio l. 2. c. 25. quomodo *congiario* primum tentatae plebis mentes l. 5. c. 47. Quid sit, quam patres auctores fiant iudiciorum a plebe expectandorum l. 1. c. 17. Quae ratio *comitiorum* l. 2. c. 2. c. 55. Senatusconsultorum gravissimorum l. 3. c. 4. legum l. 2. c. 41. l. 6. c. 36. 37. &c.

qui historicum se, non descriptorem rerum inter cives constitutarum esse meminisset. Digna, quin necessaria quae essent scitu, quaeve ad Livii memoriam perduraverint, intelligere si velis, omnia quidem apud Livium reperies, ita tamen operi indita ut nescias, an non suaviter narrando voluptati lectoris magis, quam commodis ejusdem servire voluerit fideliter docendo!

Quam multa porro in rebus privatis & tenuiorum fere vita orta, etiam si postmodo viventibus notissima fuerint, sibi tamen in historiam recipienda duxit? Nonne Dionysius aliquis Halicarnassensis modo pauca argumenta disquisitionibus, nonne Plutarchus quaestionibus suis Romanis pauciora sibi a Livio integra esse relicta repererint? nonne hic fere, si quid novum, intactum Livio, proferre vellet, ad rarissima quaeque, vel adeo dubia sibi confugiendum esse vidit?

Livius non alienum a re, dignitateque auctoris rerum ducit, vocabula ipsa antiqua & abstrusa exsequi. Unde Talassii nomen nuptialis facta sit vox. \*) Unde nomen Egerio inditum. \*\*) Vocabuli leclisernii ratio, perque ejus ritus religionem & sanctitatem vel privatorum mores mitigari solitos. \*\*\*) Qui primus e patribus popularis merito fuerit appellatus. †) Sic vocabulorum multorum, sic proverbialium dictionum, quae res priscae designant, ubicunque fere rationem reddere amat. ††) Ut omittam, quae de animi sensibus, moribus, quae de rationibus, quas singuli quique in agendo fuerint sequuti, ut auctor rerum, quem nos pragmaticum dicimus, ubivis retensuerit. †††)



Quid

\*) l. 1. c. 9.

\*\*) l. 1. c. 34.

\*\*\*) l. 5. c. 13.

†) l. 6. c. 11.

††) Res repetitae l. 1. c. 32. Vindicta l. 2. c. 5. Aes grave l. 4. c. 60. Sub jugum mittere l. 3. c. 28.

†††) Exemplum ex antiquissimis temporibus unum alterumve excelsae sufficit l. 1. c. 16. quid Romulum moverit. l. 1. c. 50. Quid populus massaverit,

B

Quid dicemus de urbis ipsius descriptione? Nonne quasi tabulam quandam primae urbis, aediumque areae delineat, ostenditque, qua ope sensum urbs magnificentior fuerit facta, & quovis clivo auctior? \*)

Tum ut ex cineribus, tumultuario quasi opere elata, surrexerit. \*\*) Nonne ex illius consignatione cognoscimus, quando campo infra urbem nomen & fama addita: \*\*\*) quae prima pomœrii ratio, quomodo tum prolatum: \*\*\*\*) quae cloacarum exstructio, quae postea subductiones, flexus? †) qui circi primus locus, quis deinde *Maximus, Flaminius*; ††) quae Capitolii, aliorumque templorum magnificentia; †††) quae carceris construendi necessitas & ratio? ††††) Sic non tantum per splendidas & magnificas, pro istius aevi ratione, urbis partes, utut nascerentur, lectorem deducere amat; sed & narrationi fidem facit, picturaque simul ejus partis, ubi quidque in urbe acciderit, lectoris imaginationi subvenit, vel quae aliis ignobilia, contemnenda viderentur, vocabulis propriis, & regionum circumscriptionibus pristinis cuncta designat. a)

Martii populi dum fata exponit, fas esse ducit, ea prae aliis omnibus accurate proponere, quae ad rem militarem pertinent. Conscriptiorem, b) exercitus formam, c) equitum munia

\*) l. i. c. 53. c. 55. c. 56. c. 30.

\*\*) l. 5. c. 55.

\*\*\*) l. 2. c. 5.

\*\*\*\*) l. 2. c. 44.

†) l. i. c. 55. l. 5. c. 55.

††) l. 2. c. 31. l. 3. c. 44.

†††) l. 2. c. 27. l. 6. c. 4.

††††) l. i. c. 33.

a) Sic prata Flaminia l. 3. c. 54. lectori conspicienda dantur; habitatio regis ad Jovis statoris l. i. c. 41. Manlii domicilium, ubi nunc *Monetae* est l. 6. c. 20. Iter Fabiorum per designatas regiones urbis usque ad portam Carmentalem l. 2. c. 49.

b) l. 6. c. 6.

c) l. i. c. 42.

munia & praemia, \*) quando stipendia primum meruerint milites, quando primum sub tentoriis, inque hibernis castris degerint. \*\*) Quae post victoriam praemia militum, quaeve imperatoris, manubiae, spolia opima, \*\*\*) ovatio, triumphus, honos habitus pro magnitudine victoriae. †)

Rem militarem a se quam maxime iri repetitum, eamque sibi industria & fide singulari consignandam esse, ita ut lectoribus ob oculos quasi sit ponenda, id jamjam ad scribendum aggressum sibi in animum induxisse facile concedemus. Quis enim est, quin re militari fere stetit rem Romanam in tempestatibus, a finitimis & bellicosissimis gentibus & nationibus contra urbem per quatuor prima saecula excitatis. Non mirum igitur, si per eadem saecula nihil intactum relinquit, quod nascens, & fere jam adultum militare robur commoueret. Non mirum, si non tantum designando singula, sed etiam excitando eminentissima quaeque, & suis quaeque coloribus insigendo, rem totam omnium ob oculos ponit.

Neque in descriptione harum rerum circa id temporis substitit, quo cuncta jam formam constantem nata viderentur: sed hanc rei Romanae partem per omnia saecula sic exegit, ut cui ne ulli quidem alii parti tot quasi imagines dandae viderentur. ††)

B 2

Circa

\*) l. 2. c. 1.

\*\*) l. 4. c. 60. l. 5. c. 2.

\*\*\*) l. 4. c. 20. l. 3. c. 10. l. 4. c. 32.

†) l. 3. c. 28.

††) Unde primum armaturam desumerint, qua ratione postea mutaverint. Si quando ab aciei constituto ordine discesserint; quid quisque imperator, quid bellum quodque addiderit receptae militiae legi; quid ab hoste novo didicerint, ad quae mutando novis aggrediendi vel sese tutandi artibus externorum fuerint coacti. His cunctis consignandis non levi aliqua opera est defunctus, sed ut suum praecipue munus cum fide, & plerumque etiam docte est exsequutus. Numidarum equitum pugnandi rationem depictam dedit l. 34. c. 11. Vallorum, qualia a Romanis, qualia a Macedonibus experirentur, discrimen l. 33. c. 5. Novam instruendi, & excitandi Romani exercitus legem a Gallograecorum pugna & impetu ortam l. 38. c. 21. Fundato-

Circa alias omnes res describendas, quae quidem ad prima quatuor rerum Romanarum faecula, vel quae ad restitutam a Gallorum incendio urbem pertinent, propriam quasi describendi rationem, vel pingendi quasi artem adhibet. Ipse sensit, se rebus istis priscis, *nimiaque veritate obscuris*, id debere, ut quum literis non posset, mente & ingenio longe munitior & instructior ad istas accederet, quam quidem ad *clariora* postea *certioraque* colligenda & consignanda sese accingeret. In priscis rebus, *ex tanto intervallo* \*) dispiciendis & protrahendis conjectura opus erat. Inveniendi adeo quasi acumen hic necessarium videri. In exponendis vero ingenio multum dare, lectorum naturam sequi, desideriis istorum exornando, variando, utendo vivis quidem etiam si obsoletioribus coloribus satisfacere debebat. Longe aliter itaque primos quinque libros constitutos videmus.

Primum, quae ipse non ex fida literarum, quae nullae essent, memoria repetere posset, ea ex vestigiis quibusdam, quae tempora antecedentia restarentur; ex traditione quadam perpetua, ac si cum rerum & hominum natura congrueret, satis gravi augurabatur. Tum meditationis acumen iudicii rectam rationem adhibuit, ut qualia esse debuissent, constitueret.

Causas sane, cur quidque consilium captum, quidque sic patratum fuerit, nullae literae, nulla memoria servarant. Naturam hominum, rerumque respiciens, talia multa subiecit, quoniam nec sine istis credi posse res tam obscurae viderentur, nec placere.

Quod Romulus memorari possit, ut qui *ulciscendi magis quam praedae studio* fuerit grassatus, id sibi suaeque conjecturae debet

---

datorum Achaeorum levia certamina l. 39. c. 29. Poliorceticam Romanorum artem in Vejorum oppugnatione descriptam dederit; jam longe aliam & artis plus desiderantem rationem modo in Syracusarum obsidione, modo in bellis cum Macedonibus & Graecis dat explicitam l. 44. c. 9.

\*) l. 6. c. 1.

debet Livius. \*) Sic Livii iudicio vel ingenio credimus, Numam putasse, *in civitate bellicosa plures Romuli, quam Numae similes reges fore.* \*\*) Livius sibi fingit, & nobis producit Tarquinium, *virum cetera egregium, quem eadem, quam in petendo habuerat, etiam regnarem fuerit secuta ambitio.* \*\*\*) Non sane ab Hordeonio aliquo acceperat sed internis tantum sensibus perceperat Livius, jam diu ante quam expelleretur Tarquinius, *clam quosdam missitantes, mox vulgo eum superbum appellasse.* \*\*\*\*) Sic iterum, quid pectora priscorum virorum stimulare, quid tardare potuerit, ex rerum natura colligit, tum, quasi illa per memoriam literarum accipere potuerit, consignat: *eum inclinatis quidem ad credendum animis, tamen nisi gladiis deprehensis, cetera vana existimaturi.* †) Sic consilia celata, rationes, quibus se quisque fuisse agitatum vel retardatum, sibi fere ipsi, nedum omnibus negasset, resignat; & rectum conficiendi negotii modum quam sapientissime aperit circa origines rerum Romanarum. *Medium Aevi ingenium, ††) cujus tentari patientiam pronum, tentatam contemni tutum foret.*

Sic temporibus & hominibus, quorum obscura tantum ad ipsam aequalesque pervenerat memoria, lucem & fidem addit, dum naturalem ubivis narrationis ductum servat, ita ut nemini dubia nascantur, †††) num res ita se dare potuerint.

Pro-

\*) l. 1. c. 15.

\*\*) l. 2. c. 20.

†) l. 1. c. 35.

\*\*\*\*) l. 1. c. 50.

†) l. 1. c. 51.

††) l. 1. c. 32.

†††) Causae adduntur cur populus Romulo sibi erepto, regem voluerit l. 1. c. 16. cur carcer fuerit structus l. 1. c. 33. Quomodo nobilitatis opinio indeque ambitio in novo populo orta l. 1. c. 34. cur L. Junius Brutus contentio tutus esse voluerit, tutusque fuerit l. 1. c. 56. cur Lucretia dum peccato se absolvat, supplicio in se ipsam grassetur l. 1. c. 58. Numen aliquod & fortuna populi Romani circa matrimonia principum l. 1. c. 46. circa ingenii varietatem & vitae diuturnitatem regum Romanorum vigilaverat l. 2. c. 2.

Probabilem sic ubivis narrationem praefat. Idem tamen ea ipsa arte, quod interiora animorum simul cum externis rebus pingit, priscais temporibus aliquem simul addit ornatum. Sic ludi pinguntur a Romulo finitimis dati, sic raptus Sabinarum. \*) Sic deceratio Horatiorum & Curiatorum \*\*) & quae eam sequuntur, Horatii causa Romae acta, & Alba Longa destructa. \*\*\*) Supplicium Juniorum L. Junii filiorum. \*\*\*\*) Obsessa Romanorum castra. †) Se ipsum tamen superasse videtur narrando vel pingendo potius Fabiorum profectionem ex urbe; ††) & urbis Romae expugnationem. Si ubivis quidem in rem praesentem lectorem deducere studet, ita ut interesse rebus, quae quam maxime fiant, videatur; hic tamen novis quasi coloribus usum reperiemus. †††)

Facile verò, si haec cum rerum, quae postea memorandae erant, enarratione compararis, intelliges, Livium circa antiquissima tempora longe abstinentiorem & modestiorem fuisse. Ita non omnes ornatus, quos posset, addidit, sed eas modo lineas, eos colores rebus priscais dedit, nulla recentis aevi luce affusa ut nequaquam impedirent, quo minus origines rerum Romanarum omnibus scite quidem & comode descriptae viderentur, priscae tamen ejusque omnino temporis esse apparent.

Nam in descriptionibus suis, inque narrando imaginem antiquitatis, ut redderet, ea illi prima fere lex videbatur.

Quod

\*) l. 1. c. 9.

\*\*) l. c. 25. 26. 27.

\*\*\*) l. 1. c. 29.

\*\*\*\*) l. 2. c. 5.

†) l. 2. c. 45.

††) l. 2. c. 49.

†††) Iterum singularem omnino pingendi & voluntatem & artem prae se fert, dum Tulliam ejusque in aula Romana vere tragica scelera l. 1. c. 46. iterum, quum Lucretiae, & tum, quum Virginiae casum l. 3. c. 40. seqq. narrat. Ad quas tabulas historicas postea recedimus.



Quod quum obtinere posse sibi esset visus, tum demum artem & ornatum rebus adhibere sibi concessum putavit. Ducenta ferme, per quatuor prima urbis conditae saecula, illi erant commemoranda bella. Caesarum in quoque bello numerus nec referri poterat, neque primis saeculis magnopere intererat. Impetu fere praedatorio, & tumultuaria opera, ubi raro strage alterius partis campi sternuntur, res fuit confecta; quum victoriam partem praeda acta saepius, quam spolia rapta testabantur. Reddenda tamen erant cuius anno sua bella; *idem enim singulis annisolvebatur orbis*, \*) modo singula proelia cum singulis populis acciderant, modo pertinacia & continua, modo bella cum pluribus simul. Hic duplici Livius cura premiti. Altera, ne contra veritatem vel probabilitatem tot gentes, accisis toties rebus semper rebellantes, semper iterum vincendas excitatione videretur. \*\*) Altera, ne taedio foret lectoribus, quum incursiones factae, concursus, breve certamen, victoriae potius nomen, quam plena victoria, quum iidem semper Sabini, Hernici, Aequi, Volsci, Latini victi & vincendi enumerarentur. Romanos vicisse toties eosdem hostes pertaesum fuerit, quidni nos legendo eadem taedium caperet?

Non tamen hi ipsi libri dimittunt repelluntque cum indignatione recedentem lectorem; verum potius retinent. Varietate enim suavissima easdem semper res, novas continuo reddere scivit. Semper aliud quid novumque addit posteriori narrationi, quod modo in re ipsa fuerat, vel quod accidere petuisse quisque putet. Modo Romulus ipse tantum non victus, modo matronae dirimentes infellas acies, dirimentes iras: \*\*\*) modo tumultuarius hostis, vixdum rapta praeda, repressus itidem tumultuario excitato exercitu: †) modo proditio ducis foeciorum accipi-

C 2


cipi-

\*) l. 3. c. 10.

\*\*) l. 6. c. 12.

\*\*\*) l. 1. c. 12. 13. l. 2. c. 40.

†) l. 1. c. 15.



cipitem facit pugnam, insignemque ideo pugnae narrationem: \*) modo oppidum captum nobilitat victoriam; \*\*) modo trepidatio prima Romanorum eo laetiozem reddidit. \*\*\*) Tum unius militis Romani virtus, tum singulare nobilium utrinque militum certamen distinguit relationem de bello Albano, \*\*\*\*) modo dolus cum successu a Romanis adhibitus, modo bellum prius fere confectum quam auditum; modo interitus ducum; †) raro est, quod misericordiam Romanorum in hostes commemorare datur; ††) rarissime accidit, ut belli ita meminerit Livius, cuius ne quidquam quidem singulare potuerit commemorare. †††) Hae sunt varietates primorum, vel sub regibus, vel cum regibus gestorum bellorum. Cum tempore procedente major majorque adhuc adhibetur ab auctore cura variationis, & amplificationis. Audacia incredibilis modo profigat bellum, ††††) modo auget periculum: a) modo milites pugnam detrectantes, modo nimis audaces referuntur. b) Equitatu modo primae partes dantur, modo non nisi pugnae spectaculum conceditur. c) Modo omne discrimen ab una gente nobilium temere susceptum, d) tum vero perpetratum. Victoria modo ex insperato, e) facilis, modo diu obnitentis hostis victricibus fere dextris erepta. Modo obfessa Romanorum f) modo

---

\*) I. I. c. 23. c. 26. & 30.

\*\*) I. I. c. 33.

\*\*\*) I. I. c. 36.

\*\*\*\*) I. I. c. 10. I. I. c. 25.

†) I. I. c. 37.

††) I. 2. c. 14.

†††) I. 2. c. 22. I. 2. c. 33.

††††) I. 2. c. 30.

a) I. 2. c. 31.

b) I. 2. c. 42. c. 46. I. 4. c. 37. c. 47. I. 10. c. 35. I. 2. c. 65.

c) I. 2. c. 43. I. 3. c. 62. I. 3. c. 70. I. 4. c. 37.

d) I. 2. c. 45. c. 48. c. 50. I. 3. c. 2. I. 4. c. 37. c. 47.

e) I. 2. c. 46. c. 53.

f) I. 2. c. 65. I. 3. c. 22. c. 29. I. 4. c. 27. c. 47.

modo expugnata hostium castra, dejecta eorundem praefidia; ducum modo Romanorum caedes victoriam retardat, hostilium ducum interitus \*) dereptaque illis opima spolia honestantur Romanorum Martem. Hic pugna nocturna, involutaeque quasi facium & ignium flammis acies, ibi exusta igni civitas; \*\*) hic cunctator nequicquam frementibus militibus dux, \*\*\*) ibi repressor foedae fugae; & si omnia enumerare velis, vigilem non minus Livii artem in describendis, quam invictam ducum vim & artem in depugnandis mireris certaminibus. Sic retinemur lectione toties repetitorum, ignobilium bellorum. Quid in bello cum Gallis, Samnitibus, Poenis, Macedonibus praestitisse Livium putamus, ubi hostium vis, arma, numerus, nomen & fama, ubi anceps belli, clades ipsae, urbisque & ferum discrimen effectura viderentur, ut vel exilem narrationem non antea manibus deponeremus, quam eventum rei, cujus expectatio moveret, exagitat, suspensos tenet, cognoverimus? †)

Neque populorum & temporum tantum imaginem relinquere sudeat, sed & singulorum hominum, & praecipue principis vel celebratissimi cujusque viri. Nonne vero antiquissimos decebat, ut plus rebus gerendis quam verbis faciendis sese manifestarent, ut persuaderent aliis, non orationibus acute inventis, subtiliter dispositis, & copiose ornatis, verum sententis utendo ex quovis temporis momento enatis, & experientia fultis, quaeve modo imagine quadam & similitudine, modo verborum pondere commendarentur. Qualia vir proferat quum in sermone communiqueat ea, quae ad magnum & bonum quendam finem ipse recte vidit, quibus ipse incitatur,

&

\*) l. 2. c. 45. l. 4. c. 19. l. 2. c. 50.

\*\*) l. 4. c. 28. l. 6. c. 2. c. 33.

\*\*\*) l. 6. c. 24.

†) Eandem, si exsequi vellemus, variandi narrationes artem, reperiri essemus circa discordiam inter ordines ortam, seditionesque innumeras. l. II & III.

& ob quae pectus acrioribus sensibus percitum quam maxime eloquentem facit. Premebatur & hic noster difficultate non levi. Si viros hos ita dicentes induxisset, ut ipsi erant loquuti, nemo aequalium, nemo legentium illorum mentem cepisset, nemo sermonem hunc intellexisset. Cogitationes abstrusas protulerant & sic reconditas ut seculum aliud illas non assequeretur, mente pauca consilia concipiente, paucis rationibus verum valentibus ducta. Verba non minus antiqua & recondita miscuerant, quarum exemplum tabulae duodecim offerunt. Quam rationem Livius inire poterat, ut hoc exemplar in narratione sua servaret, efficeretque ut simul pro prisco haberetur, simul a recentioris aevi lectoribus intelligeretur?

Quantopere hanc difficultatem senserit, ipse semel quidem manifeste confitetur: „Adversus haec Timpanii oratio *incomita* fuisse dicitur: ceterum *militariter* gravis, non suis vana laudibus, non crimine alieno laeta.“ \*) Tum subjungit argumentum hujus orationis, quod argumentum quemvis vel elegantissimum & literatissimum e castris Julii Caesaris vel D. Bruti decuisset, quod vero nullum omnino antiquae mentis & linguae vestigium refert.

Omittere igitur, si loquentes hos priscos viros inducit, statuit omnes longiores orationes, quales perpetuas dicebant. Ratio in conspicuo, ne aliena a moribus priscorum, quorum recenti cultu genuinus iste antiquitatis horror detergi posse videretur, loco non suo infereret. Quicquid vero excitare imaginationem lectoris posset, eo impensius simul addere studuit. Saepissime hos priscos viros ita in re quasi praesenti fundentes refert verba singula, sententias breves, mentis rectae & prudentiae civilis testes; simile quoddam, quod sensus omnium feriret; apte aliquid inque sua brevitate, cum vi in omnium

---

\*) l. 4. c. 41. Sic de Menenio Agrippa „prisco illo dicendo & horrido moris.“ Cum reprehensione quadam illum designat, verum illius exemplar vel imitationem dare prudenter vitat.

nium animos pronuntiatum. Adhibet igitur curam, ut directum ad colloquentes ad audientes sermonem ubivis inserat; vitam ineptiam, ne unquam longiori continuatione verborum talia, invito ejus aevi genio, obtrudat, quae saeculum istud respuerit.

Quod consilium jam circa ipsa primordia urbis captum non tantum usque ad reges exactos sequitur; sed nec circa conciones \*) ad exigendos reges necessarias, nec in motibus turbulentissimis animorum ad constituendam, servandam, augendam populi & plebis libertatem tendentibus, unquam omittit. Excitari sinit nonnunquam mentem & loquelam, ut cum alicujus acris viri virtute simul quasi incensa erumpat, verum non nisi per quatuor & quinque primos libros rarissime: neque unquam praemeditatus & commentatus, sententias ingeniose inventas, cum acumine & subtilitate disponit, sed quae in conspectu ipso, inque procinctu quasi res ipsa ferret, ea ad singulos plerumque, non nisi bis vel ter ad plures convertit; \*\*) & sic fidem videmus in tali ejus temporis imagine reddenda, qualem Cicero & temporum luculentissimus testis, & rerum ac verborum optimus iudex delineavit. \*\*\*) *Quid exactis regibus — deinceps omnia, nonne plena consiliorum, inania verborum videmus?*

Plerumque vero rebus ex reconditae antiquitatis umbra protrahendis, lucem, viris quos non multa facta illustrabant, eo vitam dat, quod colloquentibus cum singulis, quum mentes aliqua veritate percussae, quum pectus aliquo motu incitatum vel incensum esset, vocem, & directam orationem tribuit. Sic jam Romulus modo ad fratris manes, ad novas



D 2

cives,

\*) I. 2. c. 2.

\*\*) Cum P. Valerius Cos. in re trepida se ex curia proripit, &amp; incensa pectora primum ad tribunos, tum ad concionem verba facit, nonne &amp; Livius tum orationem eodem motu incensam ad praesentes quasi dirigeret I. 3. c. 17. Nonne cum L. Quintio senatum, qui sibi &amp; rei publicae deesset, castigaret? I. 3. c. 21. &amp; I. 3. c. 19.

\*\*\*) Cic. de orat. I. c. 9.



cives, \*) modo ad deos \*\*) immortales pauca quidem, at sensus & affectus plena verba dirigit. Sic Tullus Hostilius. \*\*\*) Sic Tarquinius adhuc privatus. \*\*\*\*) Sic Tanaquil †) Lucretia, ††) Veturia, †††) Sabinæ recens nuptæ. ††††) Sic primum, ut par erat, omnes ii, quorum verba, adhortationes, consilia, rerum conversioni occasionem dabant, quorum minæ, jurgia, convicia, vel imprecationes rem trepidam restituebant, periculum profligabant, sistebant fugam, adversariis excutiebant arma; sic omnes Proculi, Bruti, a) Valerii, b) Horatii, c) Mucii, Marcii, Herdonii, Cincinnati, Volerones. Tum & qui alias sine fama, sine nomine in nova civitate, primum quid confecisse, in constituta novi quid instituisse recte commemorarentur, fuerint legati, faciales, sacerdotes, iudices perduellionis, magistratus, eorum actio omnis non tantum sub oculis lectorum quasi qui præsentibus essent, confieri; sed auribus quoque incidere verba quasi ex ore sacro prolata, uti populus, olim pia admiratione & cum obsequio illa exceperat. d) Imperium adeo non tantum ducis cujusque in acie, vel in agmine; e) sed etiam centurionis quasi temere jactam vocem, modo ut omen acceptum, modo quia vitam inferret rerum tenuium descriptioni, suis vocabulis reddit.

Memor

\*) L. I. c. 7. c. 9.

\*\*) L. I. c. 15.

\*\*\*) L. I. c. 24 & 28.

\*\*\*\*) L. I. c. 34.

†) L. I. c. 39 & 41.

††) L. I. c. 57. 58.

†††) L. II. c. 40.

††††) L. I. c. 13. L. II. c. 2.

a) L. 2. c. 7.

b) L. I. c. 16. L. II. c. 7.

c) L. I. c. 25. 26. L. II. c. 7. c. 10. c. 12. c. 34. L. III. c. 17. c. 19. L. II. c. 55.

d) L. I. c. 17. c. 18. c. 22. 23. 24. 26. 32 & 38. &c.

e) *Accedera signifer, sequere miles* l. 3. c. 27. *Signifer, statue signum* l. 5. c. 55. & perulatum illud centurionis plagosi, *cedo alteram* (vitam).

Memor tamen & in his fuit, se prius aevi res & viros proponere. Quumque narrationem per libros quinque primos decurrentem oratoriae prope artis opus fuisse recte dixeris, addas tamen oportet, Romanae eloquentiae opus fuisse; ita ut iudicio & gravitati plus datum fuerit, quam illi arti, quae ad solam lectoris voluptatem cuncta elaboraret.

Liberior omnino in contexenda reliqua historia reperitur.

Si vides, historicum, ut primum in virum aliquem moribus exstantioribus insignem incidit, in Appium Claudium \*) aliquem, in Caesonem Quintium, \*\*) in Appium \*\*\*) Claudium decemvirum; si mores sunt pingendi modo nobilium juvenum, modo Gallorum tum primum Romanis auditorum, †) ipsa rarae occasionis opportunitate fuisse facile putabis ductum. Quae vero tum invidia sit, quum horridiora rerum fuerit praetervectus, quum ex negotiis quasi otium sit nactus, res recentiores pro uberiori campo sibi aperto habuisse, quo excurrere gestiens quasi ingenium recte sineret? Quis dubitabit, eundem in enarrandis rebus, quae cum suo aevo aptius & verius compararentur, plus sibi licere putasse, omnesque quas varium & excitatum ejus ingenium offerret, colores adhibuisse?

In orationibus quidem, quas totas mentibus & consiliis & ingenio dicentium accommodaret, variam quam maxime dictionem adhibuit; varium item, quum ipse e narratoris persona loqueretur, at laetiores cultum sane non toties induit, quoties festivam, urbanam, & hilarem dictionem profundendi occasio daretur; quoties lectores non tantum ab aliis talia expectassent, sed ipsi quoque talia sudissent. Quis illi vitio verteret, quod Graecorum ob libertatem restitutam gaudium majus celebret, quam ut animi mortalium istorum capere id poterint;

\*) L. II. c. 56 — 61.

\*\*) L. III. c. 11 — 13.

\*\*\*) L. III. c. 33 — 36.

†) L. III. c. 37. L. V. c. 36.

rint; majus fere, quam ut lector ipse se contineret, vocem & affectum premeret, (non se testem interesse laetantibus autumaret? \*) Quod urbem \*\*) situ commendatam, & quasi Deorum numine beatam, qui rebus incolarum interfint, florentibus pascuorum camporumque proventibus ita pingat, ut non inde expeditionis alicujus vel oppugnationis exitus, nec eventus aliquis historia dignus explicaretur, sed sola voluptas legenti excitaretur! Quod magnum, ceterumque negotiis distinctum imperatorem occasione itineris per Graeciam, ea quae ob memoriam antiquitatis grata, non tantum quae ob praesentem necessitatem gravia erant, quasi qui ipse cum duce lustrasset, lectorum animis repraesentet! \*\*\*) Quod gaudium & congratulationem contenti adhuc exercitus, quem victoria non praeda tantum ditaverat, qui ut omnes in gravi discrimine victores non vitam, incolumitatem tantum recuperatam sibi gratularetur; sed ut nulli alii vulgo victores ex servitute etiam libertatem, civitatem sibi partam & natam videret, ita describat, ut cum vicinis & incolis regiones ipsae, gaudii participes forent, ut, Livii pictura, quasi alicujus in hac arte principis aevum potius laetura videretur, quam tabula ejus scenae Romae proposita! †) Quod Claudii Neronis, qui Asdrubalem devicerat, Italiamque eo servarat, reditus per Latium & Campaniam perpetuo triumpho similior appareat, quam itineri! Quod P. Scipionis apparatu contra Africanum omnia in Sicilia confrepere faciat; quod Paulli Aemilii in Macedonia castra virtutis novae & spei plena spirare ducis mentem faciat! Quod ex altera parte modo in exercitu, modo in urbe metum in rebus trepidis, animos afflictos, desperationem Romanorum exponat, quum alter

Anni-

\*) L. 23. c. 32. 33.

\*\*) Crotona l. 24. c. 3.

\*\*\*) L. 45. c. 27. c. 28.

†) L. 24. c. 15.

††) L. 27. c. 45.



Annibal Alpes esset transgressus, quum utrique Barcinæ gentis fulmini bellico impares sibi viderentur, vel antea quum *magna pugna se ad Thrasimenum victos esse* Romani in urbe moesta comperirent, deque salute desperarent! \*) Omnia hæc non tantum tentasse, delineasse, adumbrasse, sed plane usque ad unguis & clavos esse exsequutum, id historico ævi Augusti ita conveniens videtur, ut nemo, cui Livii ingenium fuerit datum, id omisurus fore videatur. Præter Livium vero non fere quisquam tam raro hac occasione, hac licentia usus fuerit; pauci se ipsos ita continuerint, suisque ita pepererint viribus. At non ubivis pepercit. Graves alias videmus auctores Romanos; & circa res muliebres omnes fere Catoni similes. Sicuti iste vir priscus nolebat in rebus publicis administrandis *mulieres foro, concionibus & comitiis immisceri*, \*\*) curare publica; volebat vero *domi* juribus muliebribus, & *pudoris finibus contineri*; sic in rebus publicis commemorandis, inque historia non fere quisquam auctorum antiquiorum partes illis dedit. Vix diu post Cleopatram primas partes agentem in ullo Romanorum auctore, præter Graecos repperis. Fulviae, cuius sane in evertenda re publica insignis opera fuerat, in orationibus contemptus causa, & quasi omen detestans meminit Tullius: Intervenientem vero, agentem & moventem cuncta, vix ferat scena Romanorum historica. Porciam, dignam Bruto magnamque vel in civilibus negotiis animam, Lucanus approbaverit, versibusque in coelum tulerit; in historia gravi vero rerum, quas ipse viderat, scriptor, adeo non fere eam produxerit, ut vix in familiaribus epistolis illam publica curantem significarit Cicero. Non mirum vero, quod post Livium Tacitus non tantum Agrippinis, sed etiam Epponinis suis \*\*\*) insignem in historia dedit locum, quum Livius gravissima

\*) L. 29. l. 44. c. 33. 34. L. 25. c. 37. l. 27. c. 40. c. 44. l. 22. c. 7.

\*\*) L. 34. c. 2. 3.

\*\*\*) Tacit. hist. l. 4. c. 67.



rerum matronarum modo Romanarum, modo exterarum interventu, quasi quibusdam machinis, suo loco movere, moliri, vel saltem distinguere, & extollere amet.

Non illi veniam solum ab aequalibus paratam fuisse censeas, quum mulieres, ut omnium attentione dignas, & merito narratione sua ornandas, tum introducit, quum in iis steterat, ut mutationes gravissimae susciperentur, & conficerentur. Nonne potius tum eum fecisse dicemus, quod gravis & concinni historici erat? Concedemus forsan adeo, si nimium ornatum, & qui reliquam narrationem quasi obumbret, tali scenae dederit; Lucretiam itaque sic proponat, ut quasi ipse interfuisse thalamo, qua illa perierit, interfuisse morti, qua immortalitatem sibi pepererit reputari, interesse simul lectores velle videatur. P. Virginiam \*) a conscelerato decemviro stupro & servitio addictam, & non nisi ferro pectori innocenti immisso a patre vindicandam, ita pudore virgineo, & discrimine ipso, inque discrimine fide, innocentia, pietate celebret, simul patrem & omnes illius salutis studiosos ita vivos & agentes in scenam producat, ut Lessingio nostro, qui tale tragœdiae argumentum quaereret, non diu quaerendum, non ad alium auctorem, ad Græcum quendam fuerit aberrandum.

Quid vero tantopere attinebat, ut P. Scipionem, jam ab omnibus fatalem quasi liberandae Hispaniae, Italiaeque habitum, jam sanctiori quasi in deorum immortalium familiaritate spectatum, eo modo post maximam victoriam impensius laudaret, quod mulierem externam, alii viro, qui conciliandae Hispaniae momentum afferre posset, desponsam non raperet, sed sancte habitam illi redderet. Speciosum & hoc Scipionis exemplum; factum illud Cyri in Panthea iterum hominibus prodidit. Hactenus gloriosum. Quod vero Livius, cui ad alia omnia gravissima rerum esset festinandum, hoc unum factum per colloquia, orationesque plures, & narrationes diduceret, hoc sane non  
modus

---

\*) L. 3. c. 40 — 60.

modus historiae, certive ejus fines desiderabant; id expectatio aevi Liviani, quod nec illius oratione, sane huic factio non impari, carere vellet, illi suadebat; id faciebat, quoniam argumentum Graeca elegantia dignum, totque pictoribus adeo desiderabile nactus esset, cui ingenio suo satisfaciendum \*) sibi esse videbatur. In Sophonisbae vero moribus & factis delineandis non tantum a gravitate historiae priscae recessisse videtur, verum in pingendis amoribus, animisque & consiliis ob amorem diu suspensis habitis, in tenerissimis tandem sensibus, in vera natura raro tantum ejusmodi reperiundis, ita totus fuisse videtur, ut & bellorum quasi, casuum & gravissimorum momentorum, ut & scribendi generis, quod Livii praecipue esset, ut lectorum quasi, sui que tantum non dicas oblitum. Argumentum externae & tragicæ cujusdam fabulae peragere voluit, ut lectores, ut omnes, qui jam vidissent, quid in eloquio & orationibus posset, etiam cognoscerent, quid poësi scenica, si illi se dare voluisset, effecturus fuisse videretur. Duplex quasi fabulae argumentum peragere voluit. Alterum Syphacis, \*\*) Sophonisbae alterum. Syphax imperioso Carthaginis molimine, crudelitate, tandem fractis Poenorum in Hispania & Sicilia, laban-

\*) Placuisse sibi omnino in hac adumbratione morum P. Scipionis videtur Livius; sperasseque hanc potissimum narrationem viam suam in omnium legentium animos exserturam. Tam multis, tamque variis & gravibus interjectis rebus, Scipionem eundem sane omnes ita mirari assueveramus, ut cui nihil humani, nihil divini quasi putaremus nimis arduum, quo non virtus emeretur. Fidem sane ipsi Scipioni habemus, si ad Masiniam de se ita praedicat: „Atqui nulla earum, virtus est, propter quas appendus tibi visus sum, qua ego aequae atque temperantiae & continentiae libidinum gloriosus fuerim.“ l. 30. c. 14. Quis est, qui hic Livii ipsius testimonium desideret? Dicit tamen ex historici persona: Eo foediora haec (amor & nuptiae Masiniam inter & Sophonisbae) videbantur Scipioni, quod ipsum in Hispania juvenem nullius forma pepulerat captivae. Quippe haec non sibi tum dixit Scipio, qui & aliis & sibi se semper continentissimum approbaverat, sed Livius illa commemoranda putat, ut narrationem bellam & suo aevo acceptissimam hic historiae adderet.

\*\*) Illud reperimus L. 29. c. 23 & l. 30. c. 12. Hoc l. 30. c. 12. seqq.

labantibus in Italia rebus permotus, sese ad rationes Romanorum adplicaverat. Comitatus P. Scipionis, blanditiis ejus, quippe qui Numidarum regis causa in Africam erat cum paucis navibus & comitibus transgressus, quique alloquio & ipsum hostium imperatorem stupore & admiratione tanti viri percelleret, omnesque mortales caperet, ita huic viro fuerat devinctus, ut hospitio, tum societate, deinde & perpetuo nuntiorum & literarum commercio per plures annos ita Romano mansisset addictus, ut Poenus ipse desperaret, Syphacem unquam ab his partibus iri retractum.

Asdrubal vero per eosdem annos filiam forma & ingenio simul commendatam ita educaverat, ut omnibus muliebris ingenii blanditiaeque artibus imbueretur, quibus, cuicumque olim nuptura foret, ita eum sibi & causae, sectaeque, partibusque suis devincere posset, ut qui vi insuperabili constringeretur. Eandem ut Poenam, & quod plus est, ut Barcinam odium contra Romanos inter praecepta & instituta domus suae imbibisse facile nobis fingemus. Fingamus praeterea, hanc Sophonisben, id filiae nomen, Masinissam juvenem, artibus equestribus, corporis agilitate omnibus, fama virtutis, & auctoritate apud suos plurimis superiorem, illi unquam fuisse visum, absque ea adamatum. Quod studium, quum tegendum esset, quumque adversis Masinissae rebus, fuga & exilio ejus ita augetur, ut si per illam stetit, nulli alii quam huic viro sese juncturam crederes. At studiorum in ea mira conflictatio, dum imis sensibus huic sese addixisset, ut civis vero Carthaginienensis ab eodem sese prorsus sejungere, illum pro alieno & hoste habere deberet, qui sese Romanis dedidisset, quique in iis castris esset, quae Carthaginem oppugnatam jam in Africam trajecissent! Haec studia contraria Sophonisben suspensam tenent. Hic nodum videas, quem tempora vel casus aliquis repens modo viderentur solutura: In eo cardine cuncta verti. Casus iste tandem adest. Syphax solum suos fines tutaturus in armis est, caeterum fingatur spectator securus belli, quod jam internecone alterutram partem deleturum videbatur.

Asdru-

Asdrubal, qui videret, quocunque Syphacis opes, studium & copiae incubuissent, eo victoriam sequuturam, quique nosset Syphacem, jam *accensum cupiditate* in virginem, cuius sana Africam impleret, & ut *Numidam praeter omnes barbaros effusum esse in Venerem, virginem ab Carthagine arcessit*, ejusque in Masinissam amorem ut pater, ut Barcinus Barcinam tandem officii patriae debiti & iis rationibus vincit, quae ex metu ne patria interiret, vim in reclam alias nobilemque mentem nanciscerentur. *Maturantur nuptiae; accensum recenti amore Numidam tenet, & jam uxor non modo blanditiis satis nunc potentibus ad animum amantis, sed precibus & misericordia, labefactat, tandem plena lacrimarum obtestansque, ne patrem suum patriamque proderet, impellit.* Syphax copias suas exercitui Asdrubalis adiungit, aggreditur uterque Romana castra, fugantur, funduntur, deletisque omnibus copiis capitur a Masinissa Laelioque Syphax, capitur & misera nova nupta, ab illo, quem antea tacita amaverat. Num hic nodum, vindice dignum, num ~~negotiorum~~ inveniant, num res per mensium mediorum intervallum inter se disjunctas in unius diei spatium coarctare detur, quis deinde vitae Syphacis & Sophonisbes exitus convenienter tragicæ fabulae recte constituatur, periti talium viderint. Rei quoquo modo ante oculos spectatorum peragenda materiam, personas, veros hominum mores, colores immo quosdam scenæ proprios a Livio non nequicquam petieris.

Longe vero opportunius, & ab omni parte summatius argumentum Sophonisbae ipsius a Livio narrata extrema, videas. Argumentum fabulae, qualis a Jacobo Thompson, vel alio quovis inter recentiores artifice recte in scenam vocaretur, qualis nostris hominibus cum studio spectaretur. Illud Livius noster non tantum delineavit; sed & pro modo ejus aevi aptissime concinnavit.

Audiamus ipsum: „Syphax, dum obequitat turris; si pudore, si periculo suo fugam sistere posset; equo graviter icto, effusus opprimitur, capiturque: & vivus (laetum ante omnes Masinissae praebiturus spectaculum) ad Laelium pertrahitur.“

Is rex jam ab ipsis Romanis celebratur studio illum visendi, misericordia, vocibus, acclamationibus: *Magnitudini ejus, famae gentis, quisque spectator addit*: Illum esse regem, cujus tantum majestati duo potentissimi in terris tribuerint populi, Romanus Carthaginienfisque, ut Scipio imperator filius ad amicitiam ejus petendam, relicta provincia Hispania exercituque, duabus quinquaginta milibus in Africam navigaverit: Asdrubal, Poenorum imperator, non ipse modo ad eum in regnum venerit, sed etiam *filiam ei nuptum dedit*. Habuisse eum uno tempore in potestate duos imperatores, Poenum Romanumque. *Sicut ab Diis \*) immortalibus pars utraque hostiis mandandis pacem petisset*, ita ab eo utrimque pariter amicitiam petitam. Jam tantas habuisse opes, ut Masinissam regno pulsum eo redegerit, ut vita ejus fama mortis & latebris, ferarum modo in silvis rapti viventis, tegeretur: „Si haec extrema Masinissam ad eum praesentem, si alia Laelium tribunosque, utrumque igitur hostes magnifice de eo praedicantes facias; quid expositioni ad imbuendos admiratione & misericordia viri istius, qui caput fabulae est, animos defore tum credas? Et si ne illa quidem factis Masinissae sensum, vim mentis, pertinaciamque exposuerint, fingas illum supprimentem omnes victoris, & ultoris sensus, ut plena eoque splendidiori victoria potiatur: addas sis ex auctore: „Cirtha caput regni Syphacis erat: ad hanc capiendam omnis nobilis juvenis impetus fertur: „sibi quidem (Masinissa ad Laelium dicere) nihil esse in praesentia pulchrius, quam victorem, recuperatum tanto post intervallo patrium invadere regnum: sed tam secundis, quam adversis rebus non dari spatium ad cessandum. Si se Laelius cum equitatu victoque Syphace Cirtham praecedere finat, trepida omnia metu se oppressurum: „Laelius assentitur. Haec Syphacem, Laelium, Masinissam, reliquosque praeter P. Scipionis

---

\*) Nonne haec tragico omnino spiritu prolata videntur, & quidem ab iis, qui non nisi testes essent?

nis & Sophonisbae reliquis ac libus reservandas personas, satis manifestura videntur; expositioni igitur suffecerint.

„Masinissa praegressus Cirtham, evocari ad colloquium principes Cirthenfium jubet. Sed apud ignaros regis casus, neque quae acta essent promendo, nec minis, nec suadendo, ante valuit, quam rex victus in conspectum datus est. Tum ad spectaculum tam foedum comploratio orta: & partim pavore moenia sunt deserta, partim repentino consensu gratiam apud victorem quaerentium patefactae portae.“ Neque Sophonisbae adversatur. Ex captivi mariti aspectu intelligit res patriae perditas, nequicquam sese desertam, idque aetatis feminam tentaturam patriae defensionem. Jam de se, suoque tantum decore cogitat. Captivam se, Romam trahendam, id detestatur. Succurrit illi, Masinissam etiam Africanum esse; fuisse eundem miserum, exilem, tantum non captum; succurrit ejusdem magni & nobilis animi; imago viri istius, quem olim cum omnibus fuerat mirata, quem tacita & omnibus se sensumque celans amaverat. Inde ipse nascitur, fore ut juvenem, gentilem, vacuum praeterea non nequicquam aggrediat, suoque affectui in nobile pedus, idque post victoriam apertius viam aperiat.

Interea: „Masinissa praesidio circa portas opportunaque moenium dimisso, ne cui fugae pateret exitus, ad regiam occupandam citato vadit equo. Intransi vestibulum in ipso limine Sophonisba uxor Syphacis, filia Asdrubalis Poeni, occurrit; & quum in medio agmine armatorum Masinissam insignem, quum armis, tum cetero habitu, conspexisset; regem esse (id quod erat) rata, genibus advoluta eius: Omnia quidem, inquit, ut posses in nos, Dii tibi dederunt, virtusque & felicitas tua. Sed si captivae apud dominum vitae necisque suae vocem supplicem mittere licet, si genua, si victricem attingere dextram, precor quae soque per majestatem regiam, in qua paullo ante nos quoque fuimus, per gentis Numidarum nomen, quod tibi cum Syphace commune fuit, per hujusce regiae Decos, qui te melioribus ominibus accipiant, quam Syphacem hinc miserunt;

G

runt;

runt; hanc veniam supplici des, ut ipse quodcumque fert animus, de captiva statuas, neque me in cuiusquam Romani superbum ac crudele arbitrium venire finas. Si nihil aliud quam Syphacis uxor fuisset, tamen Numidae, atque in eadem mecum Africa geniti, quam alienigenae & externi fidem experiri mallet. Quid Carthaginensi ab Romano, quid filiae Asdrubalis timendum sit, vides. Si nulla alia re potes, morte me ut vindices ab Romanorum arbitrio, oro obtestorque. Forma erat insignis & florentissima aetas, itaque quum modo dextram amplectens, in id, ne cui Romano traderetur, fidem exposceret, propiusque blanditias oratio esset, quam preces; non in misericordiam modo prolapsus est animus victoris, sed (ut est *genus Numidarum in Venerem praeceps*) amore captivae victor captus, data dextera in id, quod petebatur, obligandae fidei, in regiam concedit. Institit deinde reputare secum ipse, quemadmodum promissi fidem praestaret. Quod quum expediri non posset; ab amore temerarium atque impudens mutatur consilium. Nuptias in eum ipsum diem repente parari iubet, ne quid relinqueret integri aut Laelio, ant ipsi Scipioni consulendi velut in captivam, quae Masinissae iam nupta foret.“

Sic laeta omnia, praeterque spem procedentia, tempestatem ingruentem ab oculis remonent, tragicaque omnino vi animos, mox in alia omnia rapiendos male firmant, praeparant contra ad eo faciliorem perturbationem. „Factis nuptiis, supervenit Laelius: & adeo non dissimulavit improbare se factum, ut primo etiam cum Syphace & ceteris captivis de tractam eam toro geniali mittete ad Scipionem conatus sit, victus deinde precibus Masinissae orantis, ut arbitrium, utrius regum duorum fortunae accessio Sophonisba esset, ad Scipionem reiceret; misso Syphace & captivis, ceteras urbes Numidae, quae praesidiis regis tenebantur, adiuvante Masinissa recepit.“

Ut scenae & temporis compendium facias, unitatiue fabulae consulas, haec scilicet omnia in horarum aliquot spatium sunt cogenda; & Masinissae animus a voluptatis molli tudine quasi



quasi revocatus, iterum acribus & ferocibus bellicis motibus & consiliis totus pateat. Simul P. Scipionis auctoritas & imago, quasi ex Honoris & Virtutis summo templo affulgens, iterum obversetur menti Mafinissae, illumque aliquantum sibi & exercitui reddat. Tum frigoris quid novae amantium familiaritati offusum; Sophonisbae caput desperationis atra umbra jam circumvolare.

Tum scena in castra P. Scipionis, quippe quae propius interea admota tibi fingas, translata. Gravis & majestatis olim plena Syphacis persona, nefarium Mafinissae & Sophonisbae connubium P. Scipioni prodit. Quippe cui ad Scipionem admissio non alia fere excusatio relicta, quam ut graviores culpam in Sophonisben transferat.

„Tum ille, peccasse quidem sese, atque insanisse, fatebatur. Sed non tum demum, quum arma adversus populum Romanum cepisset; exitum sui furoris fuisse, non principium. Tunc se insanisse, tum hospitia privata & publica foedera omnia ex animo ejecisse, quum Carthaginiensem matronam domum acceperit. Illis nuptialibus facibus regiam conflagrasse suam: illam furiam pestemque omnibus delinquentis animum suum avertisse atque alienasse: nec conquiesse, donec ipsa manibus suis nefaria sibi arma adversus hospitem atque amicum induerit. Perdito tamen atque afflicto sibi hoc in miseriis solatii esse, quod in omnium hominum inimicissimi sibi domum ac penates eandem pestem ac furiam transisse videat. Neque prudentiorem, neque constantiorem Mafinissam, quam Syphacem esse, etiam juventa incautiorem, certe stultius illum atque intemperantius eam quam se duxisse.

Haec non hostili modo odio, sed amoris etiam stimulis, amatam apud aemulum cernens, quum dixisset; non mediocri cura Scipionis animum pepulit, & fidem criminibus, raptae prope inter arma nuptiae neque consulto, neque expectato Laelio, faciebant: tamque praiceps festinatio, ut quo die captam hostem vidisset, eodem matrimonio junctam acciperet, & ad penates hostis sui nuptiale sacrum conficeret, eo foediora

haec videbantur Scipioni, quod ipsum in Hispania juvenem nullius forma pepulerat captivae. Haec secum volutanti Laelius ac Masinissa supervenerunt; quos quum pariter ambos & benigno vultu excepisset, & egregiis laudibus frequenti praetorio celebrasset — —.“

Haec convenientissime personae Romani, qui prorsus supra muliebres curas elatus, & apud quem amatoris rebus plane non locus relinqueretur; convenienter & duci & victori, non nisi summa quaeque animo praesument. Civili cura tamen intus angi, ne perditum se ipsum itet Masinissa; neve & causae Romanae & victoriae postea deesset.

„Abductum in secretum Masinissam sic alloquitur; Aliqua te existimo, Masinissa, intuentem in me bona, & principio in Hispania ad jungendam mecum amicitiam venisse, postea in Africa te ipsum, spesque omnes tuas in fidem meam commisisse. Atqui nulla earum virtus est, propter quas appetendus tibi visus sum, qua ego aequae atque temperantiae & continentiae libidinis gloriatu fuerim. Hanc te quoque ad ceteras tuas eximias virtutes, Masinissa, adiecisse velim. Non est, non (mihi crede) tantum ab hostibus armatis aetati nostrae periculum, quantum ab circumfusis undique voluptatibus. Qui eas sua temperantia frenavit ac domuit, ne multo majus decus, majoremque victoriam sibi peperit, quam nos Syphace victo habemus. Quae me absente strenue ac fortiter fecisti libenter & commemoravi, & memini, cetera te ipsum reputare tecum, quam, me dicente, erubescere malo. Syphax populi Romani auspiciis victus captusque est. Itaque ipse, conjunx, regnum, ager, oppida, homines, qui incolunt, quicquid denique Syphacis fuit, praeda populi Romani est: & regem conjugemque ejus, etiam si non civis Carthaginienensis esset, etiam si non patrem ejus imperatorem hostium videremus, Romani oporteret mitti ac senatus populi que Romani de ea judicium atque arbitrium esse: quae regem nobis socium alienasse, atque in arma egisse praecipitem dicatur. Vince animum, cave desormes  
multa

multa bona uno vicio, & tot meritorum gratiam majore culpa, quam causa culpae est, corrumpas.“

Jam extremum actum iri facile expeditum quisque tacitus intelliget, qui mores personis adhuc tributos, earumque praesentem conditionem non ignorat.

„Masinissae haec audienti, non rubor solum suffusus, sed lacrymae etiam obortae: & quum, se quidem in potestate futurum imperatoris dixisset, orassetque eum, ut quantum res finiret, fidei suae temere obstrictae consuleret, promississe enim, sese in nullius potestatem eam traditurum, ex praetorio in tabernaculum suum confusus concessit. Ibi arbitris remotis, quum crebro suspirio, & gemitu, quod facile ab circumstantibus tabernaculum exaudiri posset, aliquantum temporis consumsisset; ingenti ad postremum edito gemitu, fidum e servis vocat, sub cujus custodia regio more ad incerta fortunae venenum erat, & mistum in poculo ferre ad Sophonisbam jubet, ac simul nunciare: Masinissam libenter primam ei fidem praestaturum fuisse, quam vir uxori debuerit. Quoniam arbitrium ejus, qui possint, adimant, secundam fidem praestare, ne viva in potestatem Romanorum veniat. Memor patris imperatoris, patriaeque & duorum regum, quibus nupta fuisset: sibi ipsa consuleret. Hunc nuncium, ac simul venenum ferens, minister, quum ad Sophonisbam venisset, Accipio, inquit, nuptiale munus; nec ingratum, si nihil majus vir uxori, praestare potuit. Hoc tamen nuncia; melius me morituram fuisse, si non in funere meo nupissem: non locuta est ferocius, quam acceptum poculum, nullo trepidationis signo dato, impavide hausit. Quod ubi nunciatum est Scipioni, ne quid aeger animi ferox juvenis gravius consuleret, accitum eum extemplo nunc solatur; nunc, quod temeritatem temeritate alia luerit, tristissemque rem quam necesse fuerit, fecerit, leniter castigat.“

Quae sequuntur ea Romanae fabulae convenientiora facile reperias, quippe quae pompam & spectaculum desiderat. Nos, qui quae remota ab oculis, intus in pectore fiunt, malumus,

H

illis

illis facile superfederemus. „Postero die ut a praesenti motu averteret animum ejus, in tribunal descendit: & concionem advocari jussit. Ibi Masinissam primum regem appellatum, eximisque ornatum laudibus, aurea corona, aurea patera, sella curuli, & scipione eburneo, toga picta, & palmata tunica donat. Addit verbis honorem, Neque magnificentius quicquam triumpho apud Romanos, neque triumphantibus amplioem eo ornatu esse, quo unum omnium externorum dignum Masinissam populus Romanus ducat. Laelium deinde, & ipsum colaudatum, aurea corona donat, & alii militares viri, prout a quoque navata opera erat, donati. His honoribus mollitus regis animus, erectusque in spem propinquam, sublato Syphace, omnis Numidiae potiundae.“ \*)

Num aequales Livii illi concesserint argumentum proprie domesticum & civile sic peragere, quid acutissimi eorum de tali narratione judicarent, vel ex Quinctiliano \*\*) intelligere datur, qui recte sane *suam cuique propositam esse legem, suam cuique decorem* pronuntiat, vitandumque ducit, ne in oratione poetas & historicos, neque in horum operibus oratores imiteris. Inter nos ulla ne invidia sit, ingenio nonnunquam sic indulgisse, ut quae alibi inferendi locus non detur, ubicunque addideris, dummodo sensum feriant, & pulchra habeantur? Sed alias Livius tantum non indulget ingenio, ut quam faepissime

---

\*) Aliud iidem externum, regium, tragicumque igitur vere argumentum peragit Livius, dum aemulationem & invidiam Persei & Demetrii, extremorum Macedonicae stirpis principum, de regno Macedoniae concertationes, vere Thyesteam scenam, iterat. Si longam, quippe, inde a c. 3. per undeviginti libri quadragiesimi capita decurrentem narrationem spectaveris, sane non credes, Livium, nec in moribus ad naturam apte manifestandis, nec in sensibus orationibusque cuique dandis, nec in ulla re sibi argumentoque defuisse. Ut levissimorum tantum exemplum addam; nonne epiphonema tragici eloquii quid habet: „Ira innoxius adolescens, quum in coe simplici quidem genere mortis contenti inimici fuissent, interficitur?“

\*\*) Instit. L. 10. c. 2.

piissime potius abstineat, imaginibus suo, alieno loco inferendis, ingeniique excursibus.

Non tantum quum rem magis variam, gravem, atrocem reperit, quam quae imagine stilo expressa repraesentari queat, ut pavor & metus in urbe, clade Cannensi nuntiata. \*) „Nunquam, salva urbe, tantum pavoris tumultusque intra moenia Romana fuit, *iraque succumbam oneri, neque aggrediar narrare, quae edisserendo minora vero fecero.*“

Sed etiam ibi omittit, ingenio suo quasi a rei opportunitate provocato, cum gravitate vel novitate rei contendere, ubi recte praesumisisset, narrationi suae id iri datum, ut eo magis splendescat. Roma ab Hannibale obsessa, oppugnata, consiliis absentibus, spes tenuis pro aris & focis feliciter depugnandi, ratio omnis sacrorum & Capitolii capitis gentium, aeternae ipsius urbis defendendae in tumultuario posita exercitu. Quem alium hoc non invitavit, ut discrimina, trepida rerum, ut imperium, civitatem, leges sanctas, instituta sapientium, quaeque generi humano adco salutaria viderentur, quasi in communi incendio depingeret; ut senes, matronas, impubes, ut sacerdotes, plebem, ~~agrestemque~~ turbam intra moenia compulsam, nobis sisteret? Quis non tempestatem, a diis ipsis immissam, ne mortales de sedibus deorum & legum sanctissimis decertarent, ut machinam quandam adhibuisset, quo inter tonitrua & fulgura optimi maximi Jovis quasi trutina momenta gentium, quaeque tum praeponderatura videretur, pensarentur? Videas circa idem argumentum in Sillii Italici \*\*) carmine, quo spiritu Romanus haec ornare, vel incendere potuerit? Livius vero nequaquam hic a solito narrationis influitu recedit. Dicit quae urbis periculum, civium metum, primorum constantiam satis declararent; ceterum e gravitate historici esse ducit, subitam neque eam gravissimam impressionem

H 2

ab

\*) L. 21. c. 54.

\*\*) Punic. 11.

ab Hannibale ad tentandos modo Romanorum animos, non ad evertendas res leviter tentatam, non graviorem narrando facere, quam in actu & cursu rerum esse poterat. De Capua tum decertabant; urbis Romae periculum tantum pro accessione erat, ita etiam quasi res minus gravis secundam tantum in historia locum recte nanciscebatur. \*)

Iterum parca, uti occasione videtur, quum Hannibalem e diutina Italiae possessione detractum nobis proponit. „Raro quemquam alium patriam exilii causa relinquentem, magis moestum abisse *ferunt*, quam Annibalem, hostium terra excedentem.“ \*\*)

Quid alii tradiderint de Hannibale, quique ejus tum animus esse, quas causas lugendi habere potuerit, ea ad intellectum satis apte exponit, ad sensum vero, qualem alias vel per orationem excitare sciverat, pro argumenti dignitate nequaquam satis.

Quippe recte praefert, in ea omne mentis acumen intendere, quae statum orbis terrarum, quae gentium & imperiorum conditiones, multorum igitur motus animi, spes, vires, vel errores & lapsus nobis ob oculos ponunt. Illic labentissime versatur, his ingenium, imaginandi vim, orationis copiam omnem dat. Singulos homines raro, & quum rerum gravium momentum id reposceret, quod ad externum primum habitum, intimosque tum animorum motus, quasi in tabula nobis proponit.

Sic est: iudicium historicum, quo lectorum mentes sapientia instruere detur, praefert affectibus, elegantiae, quaeve alias legentium mentem voluptate capere & tenere, variove vel irarum vel studii incitati motu incadere posse videntur.

---

\*) L. 26. c. 9 — 11.

\*\*) L. 30. c. 20.



WD 78







60544

ULB Halle 3  
008 560 528



VD 18





De

# TITI LIVII

arte narrandi

et

artificio historico

commentatur

*I. H. L. Meierotto.*



LINI,

TAB, & in Commisſis NAUCKII.

CVIII.

*B. o. 290*

